

Non ergone novum, res digna stuporeq³, in uno
Perdicem atq³ Aquilam nidificasse toro?
Ergo his, quæso, avibus nunc parcite quisq³ decoris
Sincerus junxit, quos pietatis amor.
Parcite, nullum inferte malum, non territet illas
Quisquam, nec nidos depopulare juvet.
Abstineat laqueos tacitos posuisse, malignus
Auceps, aut jaculis membra ferire suis.
Quin magis vota ferat bona quisq³, benignaq³ cæli
Assiduâ mecum Numina voce roget;
Has sibi confisas tutentur ut ipsa potenti
Dextrâ, non turbet vis inimica torum.
Incolumesq³ diu vivant, aquilæq³ senectam
Exsuperent socii vincula sera tori.
Pax thalamum cingat placidum fecunda, secundet
Prosperitate domum, prosperitate torum.
Suaviter ut perdix socia ac aquilina recumbant
Oscula rostris et dentq³ ferantq³ suis.
Prodeat exclusa et pullorum copia nido
Quæ patris et matris viva propago fiet.
Sic genus hoc avium succrescet, ubiq³ virescet
Terrarumq³ solo cælicolumq³ polo.

Johannes Schönninger,
Pastor Engelhusanus,
C MAGISTER